eo suo postulans et in ipsa petendi intentione persistens, non defraudetur
orans. Qui sunt isti tres panes, nisi misterium celestis alimentum? Quod si diligas
dominum deum tuum, non solum tibi sed et aliis poteris emereri. Quis autem amicior
nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit? Petiit ab hoc media nocte panes
david, petiit et accepit. Petiit enim quando dicebat: Media nocte surgebam ad
confitendum tibi. Ideo meruit hos panes quos apposuit nobis edendos. Petiit
cum diceret: Lavabo per singulas noctes lectum meum. Neque enim timuit ne exci
l' iubrare
taret dormientem, quem scit semper iubare vigilantem. Et ideo scripture
memores noctibus ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam
postulemus. Nam si ille tam sanctus et qui regni erat necessitatibus occupatus se
pties in die laudem domino dicebat, matutinis et vespertinis sacrificiis sem
per intentus, quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus quo
frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus, ut de via lassis et i
stius seculi cursu ac vite huius anfractu graviter fatigatis panis refecti
onis deesse non possit, qui hominis cor confirmet. Nec solum media nocte
dominus, sed omnibus prope docet vigilandum esse momentis. Venit enim et vesperti
na et secunda et tertia vigilia, et pulsare consuevit. Beati itaque servi illi quos
cum venerit dominus invenerit vigilantes. Si igitur desideras ut virtus dei
precingat se et ministret tibi, vigilandum est semper. Multe enim insidie
sunt bonis, et gravis corporis somnus, cum si dormire mens ceperit vigorem su
e virtutis amittet. Excute igitur somnum tuum, ut pulses ostium Christi. Quod
aperire sibi et paulus exposcit, non solum suis sed et populi orationibus obsecrans
se iuvari, ut aperiatur ostium sibi ad loquendum mysterium Christi. Et fortas
se illud est ostium quod apertum vidit iohannes. Vidit enim et dixit: Post hec vidi
et ecce ostium apertum in celo, et vox prima quam audivi tamquam tuba loquentem
mecum et dicentem: Ascende huc, et ostendam tibi que oportet fieri. Apertum
est igitur ostium iohanni, apertum est ostium paulo, ut nobis panes quos ederemus acci
peret. Perseveravit enim ostium pulsans oportune importune, ut
gentes mundani temporis labore vexatas, alimonie celestis ubertа
te recrearet. Ergo preceptivus locus frequentandi orandi, spes impetran

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%20208 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%20208)